

Fa. 244.

a.

Q. D. B. V.

AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII

DN. FRIDRICI AVGVSTI¹⁰

DISSERTATIONEM MATHEMATICAM

DE

DISTANTIIS LOCORVM

IN GEOGRAPHIA ACCVRATE
COGNOSCENDIS

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM
CONSENSV

PRO LOCO

IN EODEM RITV SOLENNI SIBI ADSERENDO

PROPONIT

PRAESES

M. IO. FRIDRICVS WEIDLERVS

RESPONDENTE

IOANNE CHRISTOPHORO GREIBZIEGERO

SERVESTA-ANHALTINO

AD D. XVIII. FEBR. CIO CC XIII.

VITEMBERGAE, PRELO CREVSIGIANO.

VATICANICAE RECCTORIS MAGNIFICENTIAE
SIRIUSM PICTORIS MATHIAS
DNI FRIDERICI AVASTI
DISSESTITUTIONIS MARTINUS
DE
DISTANTIES
LOGORVM
IN GEOGRAPHIA ACCARATE
COGNOSCENDE
AMPITISSIMI ORBIS PHYSICOGRAPHIA
GEOGRAPHIA
PRO LOGO
IN EODVM RITA SOL ENNI SIBI AD SERENDO
PRAESES
WJD. FRIDERICAS MEDIERAS
RESONDENTIA
IOVINE CHRISTOPHORO GERHESIEGERO
SERVISSA ANNALITIO
VD D. ZAHL TERR. CLAS. CCXII
AMERICANVS PRO COLEGIANO

168
DE DISTANTIIS LOCORVM

ACCVRATE COGNOSCENDIS

DISSERTATIO

GEOGRAPHICA

πρόλογος.



EOGRAPHIA ob dignitatem et usum prorsus singularem, iam antiquis temporibus, ut a uiris praestantissimis studiose coleretur, meruit. In ea egregie, quantum quidem per aeui istius conditio- nem licitum erat, ornanda, PTO- LOMAEI, STRABONIS, PLINII, STEPHANI, POMPONII MELAE, SOLINI et mul- torum, quos tacemus, scriptorum minoris momenti, occupabatur industria. Recentiori tempore ORTELI- VS, MAGINVS, CLVVERIVS, RICCIOLVS, CEL- LARIVS, VARENIVS, pluresque alii, ob praefitam

in

in hac eruditionis parte operam celebrantur. Univer-
sa autem disciplina merito in duas partes diuiditur, qua-
rum altera Politices cultoribus, qui regnum et pro-
uinciarum amplitudinem, situm, vires, fataque cognos-
cere cupiunt, relinquenda est; altera inter mathema-
ticas numeratur, quae de Telluris magnitudine, figura
et aliis affectionibus generatim differit, easdemque ma-
thematico more euidenter demonstrat, et plura alia in
speciali, quam uocant, Geographia, summe necessaria
exponit. Haec ipsa uero Geometriae et Trigonome-
triae, tam Planae, quam Sphaericæ, supponit notitiam;
nec non Astronomiae fundamenta requirit. Dabimus
nunc ex hac petitum aliquod specimen, *de inueniendis*
quorumcunque locorum distantias, et quae huic pertinent
iusto ordine, distincte, etiam exemplis illustrata enarra-
bimus. Neque tamen, Amice Lector, exspectari iam
a nobis debet problematum pro quibusuis eriam minu-
tioribus interuallis inuestigandis factorum solutio, quae
ad Geometriam proprie sic dictam referenda est. Pro-
stat quoque iis, qui pedestri itinere aliquo tendunt, me-
dium, quo passus, in intervallo emetiendo factos,
cognoscere possunt, quod, instrumentum iam dudum
in usu fuit, et Numerator passuum appellari solet. ma-
chinae ipsius compositio simplex est, de qua uidendus
πολυμίχανος ATHANASIVS KIRCHERVS. S. I. In Arte
magnetica. L. II. P. II. c. 2. Probl. V. p. m. 221. sq. Ed.
Colon.

§. I.

§. I.

Variis uero modis acquiritur haec de locorum distantia cognitio. Eo enim non solum comparati factique sunt, quos habemus, locorum Indices, sed et ex itinerariis, quantis inter se spatiis distinguuntur loca celebria, discimus. Fallacia autem haec media sunt: posteriora enim non obseruationibus sed vulgi potius iudicio plerumque innituntur isti uero indices, qui locorum solum paucorum maximeque illustrum interualla monstrant, ex eo principio profluxisse dicuntur, quasi in hac inquisitione theoremati Pythagorici sufficiat usus; quod si res ita se habet, aberrant sane et eleganti illa propositione, quae in planis uerissima est, ad Tellurem nostram sphaericam dimetiendam male abutuntur. Nulla ergo accurriat et melior ad illa problemata soluenda methodus est, quam quae obseruationibus siderum ab Astronomis cum cura et solicitudine quadam institutis superstructa, Geometriae et Trigonmetriae adiumento efficitur. Nos in illorum gratiam, qui necessaria hic matheseos cognitione destituntur, faciliores prius trademus modos, ubi instrumenti ope confici negotium potest.

§. II.

Scilicet in Globo et delineationibus regionum geographicis, quae secundum Tabulas longitudinum et latitudinum accuratas constructae sunt, circulo res agitur. Intercepto enim in globo materiali quo duo loca distant spatio eoque in Aequatore uel Meridianum translato, si comprehensi a circino gradus per 15. multiplicando in milliaria conuertantur, ipsam habes quaestam distantiam. In specialioribus terrarum descriptionibus scala quam uocant milliarium adiecta est, quae circino, et si interuallum maius sit, ad ductum regulae applicatae afflumta quantum illa loca distent, manifestat.

A 3

§. III.

§. III.

Modi hi uulgares fundamentum habent suum, et ex experientia sollicita petitum; qua deprehensum saepissime est, in nostra tellure XV millaria Germanica respondere unico in coelo gradui. (1) Quare interualllo aliquo locorum in gradibus circuli maioris cognito, idem si quindecies sumas millaria exprimit. Inchartis uero Geographicis specialioribus, si abeit Aequator, licet gradus latitudinis a descriptionis dextra sinistraque parte notatos afflumere, qui pariter circuli maioris, meridianum intelligo, partes sunt. Quanquam haec sic recte se habeant, tamen incertior cognoscendi distantias ratio est, maxime ideo, quod illi, quorum opera descriptae publicataeque uniuersi orbis terrarum uel saltimi particulae cuiusdam delineationes prodierunt, non ea, qua decet, ubiuis circumspectione, in assignandis, ad tabularum optimarum ductum, cuius lo-
co punctis, usi sunt; quare neque alia, quae heic a non-
nullis mechanica compendia memorantur curamus, sed
potius ad ea, de quibus certius aliquid licet polliceri, nos
conuertimus. (2)

§. IV.

(1) Observations ea de causa institutas Eratosthenis, Hipparchi, Alamonnis Arabis, Villebrordi Snellii, Kepleri atque alterorum adducit IO. BAPT: RICCIOLVS. Alma-
gest. Nou. T. I. L. II. C. VII. in Scholiis. p. 61. sq. assert
ibidem etiam opinionum magna discrimina, haud dubie
inde exorta, quod et non una eademque mensura uteren-
tur, et uarias etiam in obseruationibus tentandis uias in-
gressi fuerint. Habet tamen haec nostra opinio unani-
mem fere probatissimorum Germaniae Mathematicorum
consensum, quam a uero non discedere multorum ex-
perimenta comprobarunt. Millaria uero cum omnibus
pene in locis differant, hoc loco intelliguntur talia,
quorum quodus quatuor mille passibus absoluuntur: passus
uero quinque pedes Rhinelandicos sive Vespasianos com-

plectitur, hoc quater mille passuum iter Keplerus intra
duarum horarum momenta a pedite expedito percurri
posse iudicat. In Rudolphinis p. 16. ap. Ricciol. I.c.

- (2) Qui methodos in globo et mappis varias et artificiosas de-
siderat, jeasdem eleganter et perspicue traditas reperiet ap.
BERN. VARENIVM, Geogr. Gener. P.II. L. III. c.XXXIII.
quae faciliores sunt et a nobis, qui alia ab ipso non tradi-
ta expediemus, praeteriri possunt.

§. IV.

Inter certiores uero methodos illas merito suo nu-
meramus, quae Tabulas Longitudinum et Latitudinum iam
compositas et ex uirorum industriorum experimentis de-
ductas sequuntur, et uel simplicem calculi operationem,
uel attentiorem et non omnibus cognitum Trigono-
metriae Planae atque Sphaericae usum requirunt. Casus uero
sequentes exemplis suis illustratos hos habe.

Problema I.

Duorum locorum quae habent eandem longitudinem
et latitudine differunt, distantiam indicare.

Resolutio.

Latitudo minor subtrahitur a maiori, residuum sumi-
tur quindecies & habetur quæsumum.

Sint nobis exempli loco Mantua et Norimberga, in sche-
mate initialibus suis literis M. N. expressae, habent hae ean-
dem Longitudinem, siue distantiam a primo meridiano $35^{\circ} 15'$
testibus tabulis differentiae Meridian. et Latit. apud. STRAV-
CHIVM. p. 472. Latitudo uero diuersa est Mantuae. $44^{\circ} 33'$
Norimbergae $49^{\circ} 27'$ illa ab hac subtracta relinquit arcum
M.N. $4^{\circ} 54'$. quodsi ergo 15 , quater sumas, habes 60 . nume-
rum milliarum, quem gradus quatuor comprehendunt,
pro adiectis uero minutis 54 . notandum est, illis respon-
den-

dentia millaria haberet, si in regula Aurea ita inferatur. 60, minuta prima dant 15. Mill. quod ergo dabunt 54'. et prouenit summa 13 milliarum et $\frac{1}{3}$ f. $\frac{3}{2}$ quam si inuenito priori numero 60 addas, innotescit desiderata inter Mantuam et Noricorum urbem distantia $73 \frac{1}{2}$ milliar.

Q. E. I.

Demonstrationem calculi non opus est ut addamus, res enim sua luce et euidentia radiat. Recte supponimus quod iam antea ex obseruatione et consensu Geographorum attulimus, gradum circuli maioris in Coelo concipiendi, respondere spatio quindecim milliarum Germanicorum. Dato ergo arcu differentiae Latitudinum in gradibus datur ipsa distantia milliaribus exprimenda.

Problema II.

Inuenire distantiam duorum locorum, quae eadem, uel prorsus nulla latitudine, diuersa uero longitudine gaudent.

Resolutio.

Duplex uero horum locorum de quibus quaeritur situs esse potest, siue enim carent latitudine et sub ipso Aequatore sunt posita, siue deprehenduntur in circulo aliquo, quem uocamus, parallelo;

I. Si sunt sita sub Aequatore, Longitudo minor subtrahitur a maiori, residuum multiplicatur per. XV. er habetur quod petebatur.

Cum exemplum in Tabulis non exstet, aliud ex descriptione Planiglobii desumsimus, cuius Auctor Bataeus per Tenerissam Insulam meridianum primum duxerat. Sumatra ibi et Insula S. Thomae sub aequinoctiali linea deprehenduntur. Longitudo illius I S. est $128^{\circ} 15'$. huius I L. $30^{\circ} 15'$. hanc si a priori subtraxeris remanet arcus L.S. 98° . qui in millaria more solito conuersus dat 1470, totam illam inter data loca distantiam.

II. Quid

II. Quid agendum, si interuallum locorum inparallello aliquo circulo sitorum desideretur? Heic praecipue cognosci et inuestigari debet, quot milliaris respondeat gradus minoris istius parallelis circuli, quod uel ex Apiani Canonio aut BERN. VARENIO, Geogr. Gen. P. I. L. I. c. IV. p. m. 53. sq. discitur, uel prius Sola Trigonometria planain auxiliu uocata reperitur.

In Triang. enim EGF, datur primo FÆ. = EG. Latitudini loci, per quem parallelus transit, simul datur complementum PF. et cum hoc angulus ad centrum FGE. cuius mensura est arcus laudatus. 2. Datur angulus rectus ad E. cognoscitur et 3.) Latus GF. semidiameter Terrae 860. unde non difficulter EF. semidiameter parallelis circuli et FW. tota diameter innotescit. Quaeratur exempli loco diameter parallelis circuli, sub quo Vitembergam nostram deprehendimus; est uero latitudo nostra FÆ. $51^{\circ} 52'$. per Tabb. Strauch. ergo complem. PF. erit $38^{\circ} 8'$ sive angulus FGE., datis et reliquis, quae ante enumerauimus, argumentabimur. ut S. T. ad opp. FG. 860. ita S. Ang. FGE. $38^{\circ} 8'$. ad sibi oppositum EF. latus quaestum.

S. T.	10000000
860.	29344984
38° 8'	97906325

x2.7251309

Hoc inter Logarithmos numerorum vulgar. pertinet quam proxime ad 53. ergo duplum diameter FW. erit 1062. Iam autem peripheria amplius nos latere non potest; nam adhibita Archimedis notissima proportione peripheriae ad suam diametrum circulus noster 3337 $\frac{2}{3}$ part. accipiet: uel si quis Ludolphi a CÖLN studiosissimi habitudinis huius indagatoris sententiam in tr. De Circulo et Adscriptis Leidae. 1579. 4. edit. propositam, quaeque Ar-

B

chime-

chimedea accurior patulo est, sequi malit, prodibunt partes 3334. et hic est numerus milliiorum, quibus totius circuli ambitus absoluitur. Sed sciri nunc potissimum debet, quotnam milliaria cedant uni gradui, idque manifestum est, si enim per illa quae diximus, omnes gradus circuli 360. respondent milliariis 3334. tunc cedent gradui uni $9\frac{2}{3}$ milliar. et iam habetur numerus in quem gradus differentiae longitudinum duci debet, si occurrant loca in nostro parallelo sita. Praxis eadem est, cum ea, quam memb. I. huius Probl. II. tradidimus. Esto enim Monasterium Westphaliae, quod eadem nobiscum Latitudine $51^{\circ} 52'$. gaudere in Tabulis deprehendimus, habet ergo eundem parallelum circulum, longitudo vero diuersa est. Monast. $31^{\circ} 10'$. Vitemb. $37^{\circ} 15'$. si minor a maiori subtrahatur, remanet arcus parallelī circuli intermedius, $6^{\circ} 5'$. conuentus hic in milliaria Germanica, quod fit, si non pers. Sed per repertum. 9. multiplicationem instituas, et constabit Monasterium Vitemberga nostra distare 54. milliariis, si minitorum leuem appendicem aestimemus, addendum erit milliare unum, et insuper tertia pars.

§. V.

Hucusque faciliora quaedam problemata resoluere docuimus, fundamenta eorum iam superius iacta; praeterea, quae Trigonometriae praeceptionibus certis atque immotis innixa sunt, illa nunc, ne extra oleas, quod dicunt, vagemur, supponere liceat. Sequitur, ut et Trigonometriae sphaericæ in iis quae supersunt usum ostendamus.

Problema III.

Inuenire distantiam duorum locorum quae et longitudo et latitudine differunt.

Scholion.

Quae nunc sequuntur omnium frequentissime illi sele
offe-

offerunt, qui in interualla locorum paulo curiosius inquirit.
Prioris enim orditis casus, certa quadam desiderabant, ut
ita loquar, uniformia, unde aut Longitudinem aut Latitu-
dinem eandem assumsimus, sed eiusmodi rariores casus
sunt. In his igitur quae iam perspicue atque distincte
enarrabimus artificium spatio quaecunque indicandi con-
sistit.

Resolutio.

Praxis est paulo diffusior, et plures operationes requirit
illas ne Lectori molesti simus, adhibito exemplo trademus
Sit ergo inuenienda distantia MADRITI Hispaniae me-
tropolis a nostra VITEMBERGA. Vtriusque diuersa
et Longitudo et Latitudo est, quam ex Grunebergio, qui plu-
gium locorum conditionem annotauit, desumsimus p. 284.

Madrit. Longit. $13^{\circ} . 50'$. Latit. $40^{\circ} . 12'$.

Vitemb. Longit. $33^{\circ} . 4'$. Lat. $51^{\circ} . 51'$.

Quaeritur autem de resolutione Triang. Sphaer. MPW.. Fig. II.
Datur arcus LN. Longitudo Madritensis $13^{\circ} . 50'$. et LO
Long. Vitemb. $33^{\circ} . 4'$. quod si illam ab hac subtraxeris, re-
manet NO. arcus intermedius $19^{\circ} . 14'$. qui quia interual-
lo 90° . graduum a suo polo distat, erit mensura anguli
MPW. Datur porro MN. Latit. Madrit. $40^{\circ} . 12'$. ergo et
PM. $49^{\circ} . 48'$. et cum arcu WO. Latit. Vitembergensi, inno-
tescit quoque PW. compl. quod est $38^{\circ} . 9'$. cumque ex his
cognitis Triangulum obliquangulum nondum resolui pos-
sit, fac, in duo alia Triang. commutabimus rectangula;
concipiamus perpendicularum RW. dimissum quod primo
loco nunc inueniatur, ex dato nimirum angulo recto
WRP. et latere opposito PW. quare cum sinus laterum
sint ut sinus angulorum oppositorum, erit,

B 2

Vt.

10

Vt. S. T.	100000000
ad sinum P. W. opp. $38^{\circ} 9'$.	97907933
Ita S. ang. P. $19^{\circ} 14'$.	95177447

 $\chi 9.3085380$

hoc quasitum reperitur pertinere quam proxime ad $11^{\circ} 44'$.
quod est perpend. R. W.

Rursus uero particula P.R. inuenienda uenit, ut deinde ad primarium Triangulum RMW perueniri a nobis possit: ubi problematis praesentis hic sensus est:

In Triang. Rectang. data hypot. cum angulo inuenire crus adiacens.

Resol. Vt. S. compl. ang. P. $70^{\circ} 46'$.	99750570
ad S. T. Ita Tang. Compl. Hypot. $51^{\circ} 51'$.	201048481

 1.01297911

et habetur ex tabulis Logar. Tang. $53^{\circ} 26'$ qui est Complementum $36^{\circ} 34'$ et tot gradus continet arcus RP. hos si ex MP. $49^{\circ} 48'$ substraxeris, remanet pro arcu MR. $13^{\circ} 14'$. Hinc in Triang. Rectang. altero MRW. sufficientia nota sele prodiunt, e quibus tandem $\text{70}^{\circ} \text{Etilouevor}$ indicabimus.

Noui ang. R. latus RM. et RW. desideratur MW. ubi casus sequens est:

Dato utroque latere cum angulo recto inuestigare Hypotenusam: ubi pro Complemento huius Hypoten. ita infero:

at S. T.	100000000
ad Cosin. Lat. RW. $78^{\circ} 16'$	99908291
ita Cosin. alt. Lat. RM. $76^{\circ} 46'$	99883118
	$\chi 9.9791409$

quod pertinet quam proxime ad. $72^{\circ} 23'$ qui est Cosinus Hypotenuse $17^{\circ} 37'$ quaesitae: quae si per XV. in milliaria convertatur, habebis $260\frac{2}{4}$ milliaria, quod est interuallum inter Vitembergam nostram et Madritum desideratum.

Q. E. I.

§. VI.

§. VI.

12

Quandoque vero ultra circuli quadrantem distantia aliqua sece extendit; Praxis huius negotii pariter est laboriosior, quam perspicue exemplo unico illustrabimus. Iam vero utemur Tabulis PETRI APIANI studiorum horum cultoris admodum industria, quas inferuit Cosmographiae seu descriptioni universi orbis ed. Antwerpiae circa DLXXXIV. 4. adhibuimus illas, cum in aliis, qui ad manus erant indicibus, loca tanto terrarum tractu dissita non obseruarentur.

Inuestiganda sit distantia Olisipponis a Malacca Metropoli Insulae cognominis in Oceano Indiae Orientalis sitae. Situs Geographicus utriusque ex laudato APIANO. p. 84 et 136. cognoscitur: et Malaccae quidem conditionem ex Marco Veneto deponit, ubi non diffiretur GEMMA FRISIVS in Append. p. 136. illas obseruationes esse incertiores; nobis tamen, qui haec exempli loco solum, ut operatio, eo facilius rectiusque innotescat, adhibemus, illa data possunt sufficere.

Olisippon. Long. $5^{\circ} 10'$ Latit. $39^{\circ} 38'$

Malaccae. Long. $160^{\circ} 30'$ Lat. $4^{\circ} 15'$.

Cognita sunt, OI Lat. Lisb. $39^{\circ} 38'$, quare OP. $50^{\circ} 22'$. et Fig. III. si MH. $4^{\circ} 15'$ erit PM. $85^{\circ} 45'$. Subtracto uero LI ex LH. arcus intermedium et qui ei respondet angulus IPH erit $355^{\circ} 20'$.

Atque adeo in Triang. obliquang. OPM. ex datis OP et PM. cruribus et angulo P. esset quaerendum OM, cum uero quadrantem circuli superare creditur, non poterit ex Tabulis haberi. Scrutanda ergo quantitas arcus complementi ad semicirculum MC. et occurrit nunc aliud nouum Triangulum MPC. itidem obliquangulum.

Nouimus uero PM. $85^{\circ} 45'$. et angul. MPC. $24^{\circ} 40'$
Complem. ad OPM.

Cum uero haec nota non sufficient ad resolutionem,

B3

Tri-

Trianguli obliquanguli, demissio actu MG. perpendiculari,
duo noua Triang. Rectangg. tractabimus.

Primo quidem loco, ut antea, reperiatur arcus perpend.
MG. Inferendo ex datis oppositis:

Vt. S. T.

ad. S. Lat. P. M. $85^{\circ} 45'$

ita Sin. Ang. P. $24^{\circ} 40'$

~~100000000~~

~~99988041~~

~~96204884~~

~~x 9.6192925~~

quaesitum inter Logar. Sin. pertinet quam proxime ad 24° .
 35° . et hoc est perpend. MG. Ut autem habeatur GC. in
triang. altero, et simul una opera cognoscatur, an etiam
OM. reuera quadrantem circuli superet, notus esse nobis
debet arcus PG. ubi ex cognitis concludimus:

Vt Cosin. Ang. P. $65^{\circ} 20'$.

~~99584450~~

ad. S. T. sic. Cotang. lat. P. M. $4^{\circ} 15'$.

~~188710638~~

~~8.9126188~~

Reperitur inter Tangent. Logar. quam proxime ad $4^{\circ} 41'$.
cuius CoTang. $85^{\circ} 19'$. qui est arcus PG. dato uero hoc et
altero OP. datur et GC. si enim subtrahas OPG. a se-
micirculo habebis GC. $44^{\circ} 19'$. Vnde nunc ex cognitis
MG. et GC. cognoscatur etiam MC Inferendo:

Vt. S. T.

~~100000000~~

ad Cosin. MG. $65^{\circ} 20'$.

~~99587345~~

ita. Cosin. GC. $45^{\circ} 41'$.

~~98546033~~

~~x 9.8133378~~

quaesitum inter Logar. Sin. pertinet quam proxime ad
 $40^{\circ} 36'$. cuius complem. est $49^{\circ} 24'$. subtractum ex 180.
relinquit pro OM. $130^{\circ} 36'$. uel si reperto arcui $40^{\circ} 36'$.
addas 90. prodit idem. et tot graduum est arcus circuli
maioris, quo distinguuntur, si Tabulas laudatas sequamur,
Lisabona et Malacca. Q. E. I.

§. VII.

§. VII.

13

Supereft adhuc aliis casus in hac distantiarum inuestigatione non praetereundus, de quo sequitur:

Problema. IV.

Inuenire distantiam duorum locorum quorum unus Australem, Borealem alter Latitudinem habet.

Vbi Obs. I. Si Longitudo locorum datorum, eadem est, latitudo intercepta commutatur in milliaria, et habetur quae-

situm.

II. Si Longitudo diuersa, ope resolutionis Triangulo- Fig. IV.
sphaericorum omnia innotescunt id quod unico exemplo
liceat nobis illustrare. Sit enim in Schemate nostro IV.
inquirendum in distantiam T B. Tuneti urbis Africæ,
ex ruinis Carthaginis auctæ, et Promontorii Bonæ Spei.
Nota quaedam suppeditabit BERN. VARENIVS. Geog.
Gener. P. II. L. III. prop. VIII. p. m. 729. squ.

Datur. Longit. Tuneti $\Delta M.$ 33° . et Latit $\Delta T.$ $32^{\circ} . 30'$.
Longit C. B. S. H Δ 38° . et Lat. H B. 35° .
cognito $\Delta T.$ cognoscitur etiam complementum T P. $57^{\circ} . 36'$. et dato ΔH . datur et angulus HP $\Delta . 38^{\circ}$. Haec tamen
nondum ad quæsita feliciter scrutanda sufficiunt, quare
hoc obliquangulum Triangulum, in duo Rectangula di-
uidemus, perpendiculo TK. ducto ex uno angulorum i-
gnotorum. Hoc ipsum uero perpendiculum reperitur infe-
rendo.

Vt. S. T.

ad. T. P. $57^{\circ} . 36'$.

ita S. 38 . ang. P.

$$\begin{array}{r} 100000000 \\ 99265112 \\ \hline 97893420 \\ \hline 197138537 \end{array}$$

et reperimus in Tabulis arcum TK. $31^{\circ} . 19$.

Curandum nunc etiam ut habeatur PK. quo cognito
latus KB. latere nos non potest. Data autem sunt haec:

Duo

Duo anguli, latus unum et hypotenusa, cognosci debet
crus alterum; ubi argumentabimur:

Vt. S. Compl. Lat. Dati T.K. 58°. 41.	99316143
ad S.T. ita Compl. Hyp. T.P. 32°. 24.	<u>197290244</u>

9.7974103

pertinet ad. 38°. 51'. cuius compl. 51°. 9' est ipsum latus
P.K. sed nobis cognitum est P.B. scilicet compositum ex
latitud. HB 35°. et H.P. quadrante 90°. erit ergo. totum
compositum 125°. ab hoc si subtrahamus P.K. erit KB. 73°.
51'. iam tandem latus nostrum TB. ita medianibus comple-
mentis quaerimus, si dicamus:

Vt. S. T.	100000000
ad S. Compl. Lat. T.K. 58°. 41	99316143
Ita S. Compl. Lat. alter. BK. 16°. 9'	<u>94442837</u>

29.3758980

pertinet ad 13°. 44'. cuius Cosinus 76°. 16'. hic est arcus
TB. quaesitus, sive distantia Tuneti a Promotorio Bonae
Spei, nimirum 1144. milliariorum, et ita habebimus ipsam
Africæ totius latitudinem. Q. E. I.

Scholion. I

Si autem contingat, ut arcus TB superet quadrantem
quod uel conjectura quis assequetur in his rebus exercitatio,
uel etiam unica trigonometrica operatione in subdium
uocata intelliget, tum eius Consinus esset inuestigandus, et
nouum adeo, minus Triangulum resoluendum, quod ipsum
uti expediri facile potest, ita a nobis iam omit-
titur, qui in lectore artis, soluendi Triangula in Sphaera
descripta, necessariam notitiam supponimus.

Scholion. II.

Quod si locus unus habeat longitudinem etiam semicir-
culo maiorem, tum subtrahenda est latitudo data a gradi-
bus totius circuli, residuum est arcus, quo distat punctum,

pro-

15

propositum a meridiano primo, nobis uersus occasum. Dat-
is uero et latitudinibus, cognoscuntur quod saepius supra
exemplis ostendimus, in Triangulo Sphaericō obliquang.
duo crura et angulus interceptus, unde ipsi oppositum latus
sciri facilis negotio potest.

S. IX.

Et haec sunt, quae pro instituti ratione de curioso
et utili distantiarum scrutinio breuiter tradidi. Demon-
stratio dictorum partim facilis et manifesta est, partim ita
comparata ut integrae disciplinae principia supponat, et
angustis terminis comprehendendi minime possit; quare noluī
ad illa diuerticula excurrere, quae suo loco' solicitius con-
templamur: Neque enim nunc aut ostendendum fuerat,
qua uia coelum cum spatiis telluris commode comparetur,
aut pluribus enarranda Trigometriae fundamenta, quae ali-
as iis qui mecum in his studiis uersantur, tradidi. Planae
praeceptiones paucarum horarum spatio ab attento cultore
distincte perspiciuntur, Sphaericæ, caeterum intricioris,
notitiam, ope armillaris globi materialis, pariter maxi-
mam partem, nullo fere negotio mentibus insinuauit. Tan-
dem, si quae calculi menda irrepere, quae tamen omni
qua fieri potest solicitudine cauimus, illa aequo feret animo
Lector Benevolus, et in his rebus peritior, recordabitur
illius quod B. WEIGELIVS solitus est inculcare, esse Arith-
meticam *aperte didactiū*, atquelabilitatis humanae quos uis, et si
artis perfectam uideantur imbibisse cognitionem, arguere.

IX.

Jam uero animus erat addere aliqua, ad nostrae tracta-
tionis illustrationem apprime utilia; sed uerendum erat, ne
ista augmenta opellam amplificarent nimium atque ultra
suos limites proferrent. Quare quae iam in chartam con-
ieimus de longitudine locorum, non solum eclipsum, sed
etiam rariorum phaenomenorum Veneris atque Mer-

C

curii

curii per solem transitus auxilio 'scrutanda', alio tempore exhibebimus. Ostendetur ibidem usus obseruationis macularum Lunarium, quam integro etiam libro persecutus est MICH. FLORENTIVS LANGRENVS Philippi. IV. Hispaniarum R. mathematicus, persecutus est. His methodis annumerabitur etiam CHRIST. HVGENII, summi viri de Horologio oscillatorio, penduli et (*) cycloidis auxilio ad perfectionem egregiam perducto(**) inuentum. Sed illa omnia peculiai rectius commentatione excutientur. Euulgaribus quoque, C. Θ. praeter Analyseos speciosae Historiam, optica nonnula, et Examen machinae bellicae nuper a GOEPELIO ISENACENI tanto conatu laudatae, nec non succinctam De iactu Globorum maxime majorum tractionem ex BLONDELII, tr. L'art de ietter les Bombes, potissimum defumtam atque alia, si quid in illis exponendis nostra ualebit industria. Iam finem dicendi facio, et DEUM optimum piis sollicito precibus, ut Illustrem Academiam nostram, uerae atque solidae eruditio[n]is sedem diu florentissimam couferuare, atque aduersus maleuolorum iniustas temerarias criminationes, tueri benigne uelit, per Christum.

עד גנה עוזרנו יהוה :

(*) De quo ipse HVGENIVS ita differuit, ut exactam simul Analyseos atque Geometriæ abstrusioris peritiam lectori ostendat uid. tr. De Horologio oscillatorio, sive de motu pendulorum ad Horologia adaptatorum. Paris. 1673. 4.

(**) De cycloide, cuius primum diu ante Hugen. repertae uix uidebatur esse aliqua utilitas, uid. et breuib. B. STVRM. Math. Encl. L. II. Def. XI. et Propos. XXII. sqq. et CELEB. C. WOLFIUS, In Elementis Mathem. T. IV. Def. XXXII.

Eπιμετρα.

I.




Male BERNARDVS NIEWENTIITIVS Vir eruditissimus ILL. LEIBNIZIO obiecit, partem infinitesimalēm, sive differentiam, nihilum fore, si alii quantitati variabili addita eandem relinqueret, neque augmentum ipsi afferret; cui conceditur nihilum esse respectuum, absolute uero nihilum esse, negatur.

II.

Incommode interea partem Infinitesimalēm differentiam dici, apertum est: cum sensu Geometrico et Arithmeticō duo quanta inter se comparata demum differentiam prodant, quā partes respectu alterutrius superantes: sed bene recordamur triti illius: simus faciles in uerbis.

III.

Similitudo Mathematica ab oratorum similitudine, toto, ut ita loquar, coelo differt. Illa enim necessarias ueritates non demonstrat solum, sed et ad abstrusiores, uiam parat: Haec, si optime adhibetur, uerum uix aliquali lumine reddit illustrius.



Oa 1258.8

Vd 18



TA-FL

Kopf

n. o.



Q. D. B. V.
AVSPICIIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
DN. FRIDRICI AVGUSTI
DISSERTATIONEM MATHEMATICAM ¹⁰
DE
DISTANTIIS LOCORVM
IN GEOGRAPHIA ACCVRATE COGNOSCENDIS
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORVM CONSENSV
PRO LOCO
IN EODEM RITV SOLENNI SIBI ADSERENDO
PROPONIT
PRAESES
M. IO. FRIDRICVS WEIDLERS
RESPONDENTE
IOANNE CHRISTOPHORO GREIBZIEGERO
SERVESTA-ANHALTINO
AD D. XVIII. FEBR. CIOIO CC XIII.
VITEMBERGAE, PRELO CREVSIGIANO.